ANTONIO VALLOT
REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS ET ARCHIATRORVM COMITI.

DEFVIT olim in summa rerum Artaxerxi quæsita licet, & optata mens, & manus Hippocratis (Illustrissime Archiatrorum Comes) *hunc quæ tulit tenuis insula tantò rege ditior fuit, maluitque denunciatam incertæ ruinæ pœnam fortiter experiri, quam Hippocratem dimittendo certam suæ salutis tutelam eliminare. Verum Artaxerxe, vt & reliquis imperatoribus superior* Ludouicus *suo potitus gaudet Hippocrate tutelari, eoque non ascititio vel externo, sed quem ipsa nunquam non fœcunda bonis omnibus suggessisse patria superbit. Quidni? vt summis carere Medicis male temperatæ reipublicæ signum; nunquid Medicorum omnium primus, eam qua colitur cuique succurrit prouinciam regnumue ante alia commendabit? Qua te ergo Rex noster vitæ suæ sospitem ad vindicem dignitate coniunctissimum sibi retinet, vt vbique, ita hic maxime altissimum Politices genium tuo vni inter cæteros promerito facile internoscendo comprobat; Quod si quis inuidioso reclamet sibilo, Regiæ maiestati, ipsique Monarchiæ inimicari, vel mente captum se præsentiet, audiatque latum istud ac decretum, nefas esse de illo ambigi, qui meruit eligi iudicio principali. Quibus exinde tergeminis sublatum honoribus miratur laudatque Gallia, magna quidem ista sunt excelsaque, sed iusta, ac debita persoluuntur. Nec interim ingratæ tibi futuræ sunt Medicæ sapientiæ quâ nobilem tuam sortem molitus, & adeptus es, assiduæ consecrationes & obseruantiæ. Hæc identidem apud te velut apud suum fontem arcemue, imo velut in se se recepta tuis, suis, quæ tecum instruxit, parauitque insignibus propugnari, propalari, proficere, ac perfici amat & gloriatur. Scholam Medicam Parisiensem terris magis omnibus vnam posthabitâ nunc colit Pergamo: hic illius arma, hic currus, hic celebres triumphos instituit: quos tamen si tuis meditetur, illustretque auibus, patrociniis, ipsoque adeò conspectu; optatam certè messem plena manu collegerit. Id impetrandi spem fecit centum quibus floret Doctorum, vt summa, sic addictissima tibi sapientia; priuatumque quod mihi succidit fatum, singularis quæ tua in parentem (dum superfuit) fluxitque in me beneuolentia; huius vota quæ sola ineluctabilis occupauit necessitas, implere mihi nunc est, eritque semper animus: scilicet, quam impense coluit, mihique superstitem reliquit, venerationem tui, & obsequium palam, & publice profiteri.*

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII FEBRVARII
M. MICHAELE LANGLOIS, Doctore Medico Præside.

1050

Poteſtne debilius pharmacum, crebritate vel copiâ vicem ſupplere valentioris?

PVRGANTIS pharmaci nomen iniustè plura sibi vindicant, virtutem pauciora meruere: quæ tamen omnia lubet in tres classes ordine distribui. Humectando quædam, lubricando, vel abstergendo, ventrem innocuè subducunt, lenientia idcirco appellata: alia virtutem expultricem ad suum opus stimulant; idque diuersâ ac duplici ratione; vel solâ qualitatis, non infensæ licet aut insuauis immoderatione sensum titillando ac vellicando, vt calida, salsa & acria omnia, vel omnimodâ temperiei dissensione ac molestiâ naturam lacessunt & lancinant, vt sunt plæràque minoratiua purgantia: vltima demum potentiora, quæ sola κατ' ἐξοχὴν purgantia nuncupantur, quod ijs solùm manifestò proprietas inexistat humorem vnicuique suum electiuè proliciendi. Id quod in nulla fundatum est euidenti facultate, multò minùs in occulto mixtionis modo seu ἰδιοσυγκρασίᾳ vel inaniori materiæ tenuioris aut crassioris mole, sed in solâ totius substantiæ similitudine, & virtute à formâ deciduâ: quàm cum in purgantibus, tum in nobilioribus quibuscumque medicamentis ἀλεξιφαρμάκοις ἀλεξιπυρέτοις scientiæ arcanis non agnoscere, tantæ est cæcitatis & inscitiæ, ac ipsas rerum species & formas sensibus incompertas, editis operibus non consequi.

TRIA illa purgantium genera non iuxta facultatis eiusdem purgatricis intensionem & remissionem plus minúsue & solò gradu distinguuntur: sed specie, agendi modo & ordine diuiduntur. Hinc licet inferiorum virtutem potestate & eminentiâ compleant includantque fortiora; haud vice versâ poterit vnquam in horum vsque fortitudinem attolli vel intendi debiliorum inferior conditio ac natura: seu sensim ac tandem, crebrâ, imò innumerâ, quâ id frustrâ student, repetitione: siue quod magis est, sed non satis, immensâ in vnâ eademque dosi, congestâ copiâ. Agentis sanè omnis adeoque & medicamenti robur acuunt, augentque crebritas & copia, vt & præparationes: macerationes, infusiones &c. & aduersus ea quibus à naturâ destinatur, paratius reddunt & habilius, quin adusque sphæræ actiuitatis limites valent adducere, & eleuare, sed non vltra; nec speciem, nec actionis modum quem habere natum est immutant aut inuertunt. Omnia facta sunt in pondere, numerô & mensurâ. Nec est artificis rerum naturam ad sublimiora cogere ac violare. In mechanicis non ex quôuis acceptô lignô fit Mercurius; ita in naturalibus, non omnia ex omnibus, confusâ Anaxogoræ Panspermiâ. Poteſtne cuminum vel centies repetitum escharas inducere? vesicas excitare? comburere vt ignis? plantago æquè ac opium refrigerare? sic purgantium minoratiua, quibus pollent naturæ stimulis, ac spiculis præclaræ ἑλκτικῆς δυνάμεως & cognatæ totius substantiæ similitudinis mirabiles effectus, in acerrimis præsertim & contumacibus affectibus, spectatissimos nunquam obtinebunt; quos nempe Hippocrates & Galenus, in suis illis Achilleis, delectu potiùs quàm defectu vsurpatis elleboro, colocynthide, scammoniô (nec ignotô, sed hocce beatiori tempore, vt notiore sic acceptiore omnium ἡγεμονικωτάτῳ stibiô) tantùm ac tam meritò commendarunt.

ACVTVS morbus, quod celeritati coniunctam habeat magnitudinem, duo statim indicat, remedij promptitudinem & efficaciam, sed tum maximè si præcipiti, vt apoplexia, ab ortu ad exitum, ad exitium ipsâ die feratur impetu, siue pariter αὐθήμερον φαρμακεύειν cogat impotens humorum vsquequaque viam aslatimque rimantium orgasmus, metusque est ne principem aliquam partem incautam obruat, siue malignorum aut venenatorum affectuum, imo & pestis, eximia vel contagiosa putredo statim eliminanda ne pars sincera trahatur; siue demum extrema mali pernicies, extrema amussim postulet remedia; tam certè in minorantium vt inerti ac inutili sic impossibili repetione ἀχαρέως χρονίζειν desperatum, quam in vnicô celeri potentique mochlico, vnica salutis, totàque spes habenda sit. Idipsum in sanguinis ad vsque coloris mutationem missione celebratâ videre est, quam per acutissimas febres doloresque sæpius repetitâ partitâque vice non suppleueris, nimirum in his omnibus δεῖ σπεύδειν τεύχειν προσφέροντας τῇ νόσῳ τὸ πολεμιώτατον, non vtendum cunctatione vbi perniciosior est quies, τέχνης γὰρ πάσης ἀλλότριον ἀναβολή, ἰητρικῆς δὲ πάνυ, cui vt consilium in prouidendo, industria in agendo, sic celeritas in conficiendo requiritur.

VERVM si quid in acutissimis propter imparem velocitati pigritiem, impetui mollitiem & infirmitatem minorantibus denegatum: an velut in opposito vt morbi more, sic medendi methodo, in contumacibus morbis vicem abundè, ipsisque adeo mochlicis certius tutiusque pensabunt. Ἐὰν πάνυ χρόνιον ᾖ τὸ πάθος ὡς ἂν εἴποι τις μοχλείας δεῖται. Crassi, vt plurimùm, pituitosi, melancholici ἀδροτέρως expurgandi, vt in hydrope quartanis longisque febribus; vel difficillimi, valenter impacti, imperuijque humoris pro situ aut conditione soboles: vt varij artuum, articulorumque dolores. Ex quorum omnium vt diuersimodè sic vario successu tentata exploratáque, curatione, à quibuscumque peritissimus ratum fixumque stetit, hoc articulo distingui purgantium virtutes, vt minorantia nonnisi tenues, paucos, in primis duntaxat viis stabulantes, & in iis qui ex facili mouentur, quo ipsa naturæ infensa prorsus exulent, quoscunque simul obuios protrudere cum meliora maioraque noxium humorem vbicumque, in tertiâ regione vallatum, non per apertos solùm ac patentes ductus sed per cæcos anfractuososque, quibus εἴσπνουν & ἔκπνουν τὸ σῶμα, potius mirum in modum conferente quam reluctante naturâ, quasi miraculo scrutentur & eruant. Hinc in contumacibus morbis πολλὰ καὶ σμικρὰ Camarinam mouent non emouent, morbùmque exasperant non sanant: vt sæpe διὰ τῶν πολλῶν καὶ σμικρῶν μακρὸς ὁ θάνατος αὐτοῖς κάμνουσι γένηται.

IN leuioribus morbis, leuioribus impunè pharmacis ludere integrum est; at in omnibus abuti semper, velut ad omnes vsus gladio delphico πανταχῶς, nescire est naturam vel, remedij vel morbi; quâ docemur οὐ μεταποιέειν τὸ φάρμακον ἀλλὰ κατὰ τὴν φύσιν ἑκάστοισι. τοῖσι μὲν ἀσθενέσι ἀσθενῆ φύσει, τοῖσι μὲν ἰσχυροῖσιν ἰσχυρὰ φύσει, neque ὀλιγότητι crebritate vel copiâ ἀλλὰ τῇ φύσει facultas expendenda purgantis. Qui morbi medicamento non cedunt, ferrò attingendi sunt, qui ferrum respuunt, igne sanantur; qui & ignem superant, prognosi relinquuntur immedicabiles. Quod si ita in chirurgicis, quæ manu consilioque ducuntur & ex paruo in vehemens, ex miti in crudele augentur, minuuntur, tardantur, citantur ad arbitrium; quantò magis in medicamentis quæ solâ naturâ reguntur, definitòsque actionum terminos & virium gradus non transcendunt? Vt ergo qui fortioribus medicamentis faciliores ac mitiores morbos oppugnabit, inepte nimis Herculis clauam ad frangendas aranearum telas deturpabit; qui contrarium molietur, pygmæam manum tot tantisque morborum monstris debellandis; ipsiusque adeo Herculis æquandæ fortitudini, Herculæorum præsidiorum δραστικωτάτων καὶ ἰσχυροτάτων crebritate vel copiâ compensandæ inscitè ac insanè porrexerit.

~~490~~

Non ergo poteſt debilius pharmacum, crebritate vel copiâ vicem ſupplere valentioris.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionysius Ioncquet.	*M. Martinus Akakia.*	*M. Ioannes Merlet.*
M. Iacobus Gauois.	*M. Nicolaus Cappon.*	*M. Iacobus Perreau.*
M. Michael Marés.	*M. Nicolaus Richard.*	*M. Ioannes de Gorris M. Reg.*

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS CHARTIER Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVI.